



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 17. An est usuarium ac illicitum mutuare ob spem lucri tanquam finem
principaliter intentum, licet sine ullo pacto?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Q 17. *An est usurarium, ac illicitum mutuare ob
spem lucri tanquam finem principaliter inten-
tum, licet sine ullo pacto?*

*Resp. Aff. Prob. 1. ex cap. 10. de usur. ubi
censetur usurarius, qui licet omni conventio-
ne cessante, eo animo mutuat, ut aliquid ultra
sortem recipiat, alias non mutuaturus. Et ex
S. August. ser. 3. in Psal. 36. ibi. Si plus quam
dedisti, expectas accipere, scenerator es. 2. Chri-
stus jubet, ut mutuum detur gratis, & sine spe
lucri finaliter ex mutuo intenti. Luc. 6. Mutu-
um date, nihil inde sperantes. 3. Tunc verè in-
tenditur lucrum ex mutuo, quod est usurari-
um, licet intendatur mediante benevolentia
& gratitudine mutuatarum, sed intentum propter
lucrum: ita ut nisi lucrum speraretur, mutu-
um non daretur: nam tunc intenditur bene-
volentia, vel gratitudo propter lucrum, tan-
quam finem propter se ex mutuo intentum.
Non esse tamen usuram aliquid secundario
sperare ex mera liberalitate, & gratitudine,
non ut debitum, nec intentum ex mutuo, do-
cet glossa, in cap. Consuluit, quæ ait peccare
sperantes causam mutui in spe lucri principaliter po-
sita. Secundario tamen aliquid sperare non puto
malum. Ita etiam S. Antonin. 2. p. tit. 1. cap.
7. §. 1. addens: Dicitur autem intentio princi-
palis hæc, cum scilicet magis movetur ad mutuan-
dum propter lucrum, quod sperat, quam propter
aliud. Sed intentio secundaria dicitur, cum etsi
sperat*

sperat aliquid sibi dari ab eo, cui mutuavit ex sua liberalitate, tamen non illud eum movet, sed magis benevolentia, ita ut etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuetur. At usura est intendere, etsi secundariò, lucrum est mutuo, ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum: quia intentio, etsi secundaria, non tollit malitiam objecti, à quo actus specificatur. Et illicitum est velle etiam minus principaliter, ac secundariò aliquid illicitum. Lucrum autem ut pretium mutui, vel ut aliquid ex mutuo debitum, est quid illicitum, & usura: ergo illud quocumque modo intendere est illicitum. Ita Lessius, De Lugo, & alii.

Q. 18. An licet mutuum petere, vel accipere sub usura?

Resp. I. Non licet mutuum petere sub usuris: quia non licet petere ab alio, quod licetè facere non potest; nam hoc esset eum inducere ad peccandum. Tamen ex communi, licet ob gravem necessitatem propriam, vel alienam petere mutuum ab eo, qui prævideretur non daturus nisi sub usuris, si aliter haberi nequit, intendendo solum mutuum, & habendo se permissivè ad usuram: quia licet petere ab alio id, quod licetè præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, modo adsit iusta causa non impediendi ejus peccatum, qualis est hîc: nam mutuatarius non tenetur cum suo